

scere culpam, vbi culpa non est, intelligitur secundum D. Tho. 4. dist. 21. q. 2. art. 3. cap. 1. quo ad substantiam actus: Non enim ad bonam pertinet mentem, sed ad erratē, ut actum aliquem se commisisse cognoscat, quem non commisit, non autem quo ad qualitatem, & conditionem actus, quia verum est, quod dicit Greg. nam iustus in actu, qui de se bonus videtur, timet ne defectus aliquis fuerit ex parte sua, id est, non sit commaculatus superbia, aut vanagloria; vnde Ioan. 9. verebar omnia opera mea. Sum. confess. titu. de confess. q. 79. Supplementum in ver. confessio. 1. §. 8.

- 12 Sed ¶ an quis licite possit confiteri peccata mortalia, quæ non fecit. Resp. peccata, quæ non fecit secundum rem, fecit tamen secundum suam voluntatem tenetur confiteri, facit tex. in cap. si cui, & seq. de pœnit. dist. 1. Quæ vero neutro modo fecit, non tenetur: quia secundum Aug. Qui humilitatis causa mentitur, mentiendo efficitur quod iurat. scilicet peccator. c. cum humilitatis. 22. q. 2.
- 13 ¶ Sed obiicitur de sacerdotibus, qui in confessione generali omnia peccata confitentur se commisisse, & tamen sunt aliqua, quæ non commiserunt. Resp. ondet glo. in d. cap. cum humilitatis, cum qua concordant omnes Doctores, quod illud faciunt in persona ecclesia: nullum enim vitium est, quod non reperitur in aliquo membro ecclesia. Sed quid de alijs, qui non sunt sacerdotes, & tamen confitentur se commisisse, omnia peccata. Resp. ibi glo. quod isti neque mentiuntur, nam cum in vno peccato multa peccata possint notari: Cum enim quis peccat mortaliter, committit homicidium, occidendo animam suam, committit furtum, quia se subtrahit Deo, adulterium, quia recedit a Deo, & fornicatur cum diabolo: peritium, quia fidem promissam in baptismo non seruat, d. cap. cum humilitatis. in gl. Ideo quando qui confitetur, vni peccato tantum mortali est obnoxius, illam confessionem generalem faciendo non mentitur. At si nul-

lum peccatum mortale haberet, potest intelligi confessio illa generalis de peccatis venialibus. Tenetur etiam confiteri peccata venialia, quando quisque se voto obligaret ad illa confitenda. Sed eiusmodi vota neutiquam consulerem, vt inquit Sotus in 4. sent. dist. 18. quæst. 1. art. 3. Laberentur enim scrupulosi omnes penè in desperationem: cum illa omnia confiteri sit impossibile, Sylu. in ver. confessio. 1. q. 13. vers. tertio.]

S V M M A R I V M.

- 1 Communicaturo si succurrat peccatum, & proponat confiteri, statim id debet post communicationem: non idem in confessio semel in anno, num. seq.
- 3 Peccatum mortale obliuisci, non est peccatum, sed sufficit velle recordari.
- 4 Confessio per annum omissa quamprimum implenda; & quare duret obligatio, cum anni terminus transierit.
- 5 Confessionis omissionem si secuta est excommunicatio, non absoluitur confitens ab excommunicatione.
- 6 Confessio in articulo mortis est necessaria: & partes medici curantis a groto qua.
- 7 Mortis articulus quando dicatur ratione confessionis.
- 8 Confessio, cui defuturus est confessor, necessaria, & quare.
- 9 Confessio, dictante conscientia, voto impellente, & in susceptione Eucharistia necessaria, & quando deponere reneatur conscientiam.
- 10 Caiet. & Panorm. opinio de semel confessione faciendâ, periculosa.

De casibus, in quibus quis non expectato anno confiteri tenetur. Cap. XI.



Rures casus diuersis in locis assignatur a Doctores, in quibus quis statim tenetur confiteri: quorum primus est de eo, qui ¶ iam accinctus ad comunicandum,